

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicae Selectae

Haller, Albrecht von

Lausannae, MDCCLV.

VD18 90538943

XCVI. Dissertatio Medico-Chirurgica, De Calculo Vesicae Urinariae In Urethram Impulso Et Singulari Encheiresi Absque Sectione Exempto.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16605

X C V I.

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE
CALCULO VESICÆ URINARIÆ IN
URETHRAM IMPULSO ET SINGULARI
ENCHEIRESI ABSQUE SECTIONE EXEMPTO.

Quam palam tuebatur

CAROLUS DANIEL FISCHER

KESMARKIA-HUNGARUS.

Erfordiæ 17. August. anno 1744.



LIBRARY OF THE
MEDICAL DEPARTMENT

OF THE UNIVERSITY OF
MICHIGAN

ANN ARBOR, MICHIGAN
1880



§. I.

Vix unquam æquus aliquis rerum arbiter facile in dubium vocabit, quod hæctenus, Medicorum omnium consensu, adprobatum exstitit, & Clariss. Christ. Ernestus Clauderus, in *Gargonea Metamorphosi* p. 13. sequentibus profert verbis: *Calculorum in humano corpore plena esse omnia.* Quæ quidem assertio, uti in se vera est; sic quoque quivis judiciosus facile consentiet, eam cum grano salis accipiendam esse. Exempla obvia sunt in scriptis medicis, quod calculi in omnibus corporis partibus & generentur, & vel à natura sub forma abscessus expellantur, aut solitarii sæpissime protrudantur medicamentorum ope; vel cultro excendantur, partim ex vivis, partim etiam demortuis corporibus. Ingentem catalogum jam suo contexit tempore, Job. Georg. Waltherus in *Sylva Medica*, p. 252. sequi. Scriptorum Medicorum, qui observationes exponunt, de calculis in diversis corporis humani partibus detectis; & Doctiss. Wilhelmus Andreas Kellnerus in *Synops. Obs. med. phys. in Ephem. Acad. Nat. Curios. publicatar.* p. 240. sequi. haud minorem farraginem observationum similium recenset; imo omnes fere observationum libri idem confirmant & extra dubium ponunt, teste Jac. Joseph. Joepferio, in *Manuduct. ad vitam longam, Part. III. Cap. III.* & Joh. Georg. Schenckio in *Lithogenesia.* Nec dissentit ratio medico, prout ex inferius dicendis liquido patebit. Calculus enim cum nihil aliud sit, quam concretio lapidosa, ex particulis terreis, salinis, calcariis, sulphureis, viscidis multisque aliis, pro ratione partium in quibus generatur, & liquidi secreti, conflata atque producta, diversitatem non modo quoad magnitudinem, sed & mixtionem prædictorum elementorum admittens, uti ex colore diverso calculorum id colligere licet, insimulque idem illud confirmat Archib. Pitcairnius, in *Elem. Med. phys. math. lib. II. Cap. XXIV.* Hæc ergo calculi elementa, cum ex sanguine ipso ortum trahant, necessario etiam sequitur, quod eadem in ipso fluido sanguineo existant, & quidem materialiter, non formaliter, atque insimul per canales suos proprios per universum corpus, mediante motu progressivo, ferantur, unde fit, ut quoque in diversis partibus corporis calculi generari possint, ubicunque secessionem aliquam humorum fieri possibile solum est, quam secessionem pulchre illustrent experimentum Herm. Boerhavii, in *orat. de usu ratiocinii mechan. in Medicina,* atque Observatio Joham Godofr. Nob. Dom. de Berger, in *Dissertat. de secret. animali,* §. XI.

§. I.

Hæc uti certa quidem sunt, nec unquam à quoquam Medicorum in dubium vocata, præcipue, cum cuivis clinicorum experientia, optima rerum Magistra, hoc haud raro tam exquisitè exponat, ut sæpe quasi attonitus,



veritatem illorum in observationibus deprehendat. Ut aliorum jam taceam observationes medicas, duas inprimis huc facientes, quas *Genitor meus optimus, D. Daniel Fischerus*, partim alibi jam adduxit, partim vero cum eodem notavi, adducere lubet. Militis saxonicus uxor, postquam à longo tempore dolore urente lateris dextri afflicta fuit, infantem legitimo temporis partu enixa quidem, sed febre correpta inflammatoria brevi post obiit. *Lichtenburgi* tunc præsens *Illustris Dn. de Berger*, genitorem meum comitem itineris accerserat, desideratamque sectionem corporis facile à præposito militum impetrabat, cumque eundem moles hepatis grandior & ejusdem inflammationis ad accuratiorem lustrationem invitasset, tandem in vesicula fellea calculum invenit, magnitudine ovi columbini, quem etiam *Illustr. Dn. de Berger*, observata referens, ipsi exhibuit. Ipse ego novi feminam Kefmarkiensis, vini potui nimium deditam, ad præfatum genitorem meum consilii causa sæpius venientem, atque de cruciatibus & doloribus enormibus & urentibus in hypochondrio dextro, conquerentem, qui, dum non nisi per incerta intervalla recurrebant, singularem virium debilitatem statim induxerunt, cum læsione actionum ventriculi, obstructione alvi, & aliquali inflatione hypochondrii dextri. Genitor meus, cum facile deprehenderet, singula hæc à calculo vesicæ felleæ provenire, serio eidem injungebat, ut dietam vinosam seponeret, & hujus loco aquosam susciperet, præcipue autem acidulas Topporezienses paulo majori in quantitate hauriret, ac tandem, munitam auxiliis etiam pharmaceuticis convenientibus, ad Thermas Deusbachenses ablegabat. His licet usa fuerit, dietæ tamen aduetæ vinosæ haud valedixit, unde etiam minime ex voto cuncta applicata cesserunt, sed unicum saltem hoc obtinuit, quod dolores per tres quatuorve menses cessaverint. Elapso hoc tempore, rursus eandem invaserunt dolores atrocissimi, quibus cum affligeretur per 6. dies, ad Thermas iterum amandatur, convenientibus simul auxiliis medicis instructa, & cum vix quartum intraret balneum, extreme atrocibus in hypochondrio dextro adfligitur doloribus, sub regionem stomachi sese extendentibus, ita, ut & deliquium animi, ex quo difficulter excitabatur, passa fuerit. Post excitationem cum vomitu assumpta rejecit, tandemque subito omnes dolores in hypochondrio cessant, & post 4. horarum intervallum tormina ventrem infimum occupant, accedit diarrhœa levis, & dum tertia vice alvum deponit, calculum ovi columbini magnitudine, colore lapidis serpentini, simul excernit, omnium cruciatuum hæcenus perpefforum causam. Parallelam huic historiam fuse recenset *Abrab. Vaterus, in Diss. que observ. rariss. Calculorum in corp. hum. generat. illustrantes* exhibet, *Obs. III.*

§. III.

Tali igitur modo, quo calculi in vesicula fellea generantur, eodem etiam, si saltem elementorum diversitatem supponas, in aliis partibus illos fieri,
&

& ratio & observatio docent. Nimum prolixus esse deberem, si vel unicam observationem, partium corporis humani diversarum, eamque singularem, enarrarem: cum autem fusiorem hujus tractationem præsens institutum non permittat, ac Medicorum testimonia firma & fida satis numerosa de hac materia prostant, superfluum omnino fore existimo, ut observationibus & historiis idem illud confirmetur, & ratiocinia medica simul subnectantur. Id tamen notare juvabit, quod summo cum judicio sequentibus expressit verbis celeberr. *Brendelius*, in *Diss. de Lapidicina microscopica*, §. II. *Qui quidem calculi, quemadmodum diversa loca natalia habent, ita, si figuram, colorem, pondus & duritiem eorum spectes, multum differunt, dum alii parvi, vel magni, oblongi, vel rotundi, alii glabri & politi, alii asperi & inæquales, opaci aut pellucidi, topiacei, metallici, duri, seu silicei, fissiles, testacei, aut aliis proprietatibus distincti sunt, tametsi generandi ratio eadem est, sive illi in hominibus, sive brutis animantibus proveniant.* Titulus autem hujus Dissertationis inauguralis, cum solum *de Calculo è vesica urinaria in urethram propulso* me acturum esse demonstraret, hinc & de eo nunc sollicitus, illa non nisi exponam, quæ hic notatu digniora sunt, atque ad hunc scopum spectant, aliis committendo, quæ exinde, ad illustrationem generationis calculorum in aliis corporis humani partibus, deduci possunt specialiora confectionaria.

§. I V.

Nobilis quidem comitatus Scepusiensis, e decem lanceatorum fede, Hungariæ superioris, quinquaginta trium annorum, habitus obesioris, spongiosi, constitutionis durioris & bilosæ, diætæ vinosæ aduetus, rarissime valetudinarius; in juventute fortunam novercantem expertus, nihilominus tamen studiis operam dedit, nec exiguos progressus in jure hungarico fecit, ita, ut paulo post inter regni advocatos locum obtinuerit, imo & officii publicis admoveretur, in quibus cum continuis itineribus, nulla observata lege diætetica, occuparetur, tandem ad officium notariatus admotus, simultanee vitæ sedentariæ se dedit, cumque hæctenus nullis obnoxius fuisset morbis, excessus tamen in potatione vini quotidie committeret, ac regulas diætæ susque deque haberet & profus negligeret, intra biennium, postquam sedentariæ vitæ se devoverat, factum est, ut inviserit aliquem amicorum Marhalsalvæ, de nullo malo hæctenus conquestus, aut cogitans, ubi, postquam potu vini nimum se se oneraverat, vesicam levare intendens, urinam cum summo nisu tandem excernit, & cum hac immediate simul calculus in urethram protruditur, quem statim excipiebat urinæ plenaria suppressio. Hinc attonitus & anxius, cum rem satis periculosam esse optime sentiret, veloci equorum cursu Kesmarkium, ultra miliare hungaricum inde distans, ad genitorem meum vehitur; ad quem, cum media nocte, totus anxius & trepidans, appulisset, narrat brevissimis malum, subitumque auxilium, ob dolores summos in vesica, & me-

tum



tum rupturæ vesicæ, gemebundus exposcit. Genitor meus, crapulam præcessisse sciens, sollicitus unice erat de tempestiva urinæ excretionem; hinc provide applicato stylo concavo, inter calculum & latus urethræ, urina cum impetu prorupit, summo cum gaudio ægri, & cessatione symptomatum urgentiorum. Hoc factò, ad domum propriam deductus, quieti se se dedit, cumque rursus urina exitum urgeret, hic prædicto canali procurabatur, postmodumque somnus profundus aliquot horarum subsequabatur. Interim genitor meus sollicitus erat de methodo eximendi calculum, cumque deprehenderet calculum sursum deorsumque mobilem, ac solum in urethræ fine, quæ ad glandem penis notatur, ac ordinarie reliqua urethræ parte paulo angustior est, hærentem, tandem excitato ægro à somno, per tres horas durante, injici in urethram curavit oleum amygdalarum dulcium, & applicato stylo concavo, ad promovendam urinæ excretionem, existimabat calculum ulterius se se provoluturum esse, ut tandem & angustias urethræ superare forasque proripere se posset; sed inanis erat expectatio: tentabatur digitis successiva calculi expressio, imò & inflatio urethræ instituebatur, pro ejus extensione majore, irritò tamen cum successu. Forcipis a chirurgis commendationem, inutilem imò damnosam cum alias expertus esset genitor optimus, terebri autem *Paræi* applicationem, difficilem, & eventum ancipitem judicaret, ac ad incisionem absque necessitate transire haud vellet, ob sufficientes rationes *Guil. Fabricii*, à Patria *Hildani* dicti, *Libr. de Lithotomia Vesicæ cap. XXVI.* ratus, calculum in urethra hærentem nullum damnum inferre posse, quippe cum modus urinam removendi per stylum concavum optime successisset, ita, ut æger de reliquo viribus constans, à doloribus immunis, simul somno & appetitu ciborum gauderet, ac ob mobilitatem tandem calculi, depressionemque ejus ad glandem penis usque, nihil mali ulterius metueret; hinc præscriptis tantum lenientibus & emollientibus, imprimis balneis temperate calidis, injectionibus oleosis, & cataplasmatibus non nimium calidis, de securiori modo calculum eximendi ulterius sollicitus fuit, tandemque cum methodus *Dn. Garengot*, atque illa, quam *Doctiss. Heisterus* per incisionem urethræ commendaverant, haud placeret, nec in aliis solatium verum se habere posse existimaret, per terebrationem vero optime illud fieri judicaret, si modo incommoda illa, quæ in methodo *Paræi* illi obversabantur, removeri possent, cannulam hinc necessariam fore deprehendebat, ejusdem magnitudinis, ut commode in urethram immitti possit, tantæque capacitatis, per quam terebellum, pennæ anserinæ mediocris crassitie, libere transire & agitari queat. Statim igitur talem cannulam ex optimo ferro parari, terebellumque non ad imitationem *Paræi*, quod lapidem confringeret, sed quod excavaret, confici curavit ex ferro indurato. Non autem solum perforare calculum intendebat, sed perforatum forcipe oblongi rostri, & illius magnitudinis, quo foramen perforati calculi intrare possit, successive confringere volebat. Paratis itaque hisce instru-

instrumentis, æger in balneo ex aqua fluviali parato ac temperate calido confidet, tum chirurgus sinistra manu virgam sub calculoprehendit, & sursum ad finem urethræ propellit eundem, ac immisso prius in urethram oleo amygdalarum dulcium, eannula applicatur, dein terebellum intrudatur ad calculum usque, & servato calculo in suo situ, terebellum in orbem continuo agitabatur, donec calculus perforatus erat; hoc factò, terebellum eximebatur, & immisso prius oleo, calculus ad medium urethræ digitis leniter urgebatur, applicataque forcipula rostro longo instructa, ita, ut foramen, per terebellum in calculo factum, exacte subintraret, diductis manubriis calculus in partes 4. diffringebatur, immissoque rursus, postquam forceps exemptus erat, oleo amygdalarum dulcium, cum æger ad urinam excernendam urgeretur, tandem fragmenta hæc exiguo cum dolore, cum lotio foras prodibant, ægerque à malo hocce plenarie, absque omni læsione urethræ, liberabatur.

§. V.

Præsens casus, historice descriptus, primo intuitu non videtur ita esse comparatus, ut aliquam saltem lectoris attentionem, multo autem minus deductionem præsentem mereatur; ast, dum circumstantias ejus paulo exactius consideramus, multa sane monstrant, quæ partim hæcenus non debite attendebantur, partim etiam magnam lucem aliis, in quotidiana praxi occurrentibus phænomenis specialioribus, adfundunt. Quo autem rem accuratius pertractemus, juvabit, hoc loco solum ad illa respicere, quæ enarratus casus exhibet, reliqua autem, tanquam ad præsens institutum hard spectantia, quæ in genere de calculo dicuntur, cum & hæc ex subsequentibus multum illustrabuntur, aliis, vel alii tempori relinquere. Est autem præsens affectus plenaria urinæ suppressio à calculo, antea insensibiliter in vesica latente, ex nimio vero potu vini hungarici, cum magna urinæ copia in vesica collecta, postmodum in urethram propulso ibidemque hærente, & ulteriorem urinæ excretionem inhibente, cum dolore partium affectarum atroci & anxietate præcordiorum simul conjuncta. Recte enim *Job. Anglicus in Praxi Medica p. m. 486.* statuit, calculum non esse morbum, sed oppilationem, quam idem ille inducit in meatu urinario. Urinæ suppressionem auctores medici sæpissime sistunt in scriptis suis, quæ tamen non semper à calculo originem ducit, ita ut exinde colligere liceat, illam nequaquam esse signum pathognomonicum calculi in vesica hærentis. Nam & vermes, sanguis congrumatus, pus, atonia & spasmus vesicæ, caruncula ex ulcere quodam prope sphincterem, aut alibi in canali urethræ exerescentes & ductum infarciens, aliæque causæ, urinæ suppressionem inducunt, ita ut ex ipsa ischuria nullum certum judicium medicus clinicus formare possit de præsentia calculi. Hinc etiam est, quod medici, in judicio ferendo præcipites, sæpe fallantur, dum ex uno aliove signo con-

Tom. IV.

K

clusio-



clusionem formant, quam tandem eventus refellit, uti id videre licet apud *Theoph. Bonetum in Sepulchret. anatom. Lib. III. Sect. XV. additamentis.* Sic quoque novi, in praxi genitoris mei notatam ischuriam, à lumbrico in vesica hærente, qui sub usu balnei acidularum calefactarum, ab uxore Tinctoris Kefmarkienfis excernebatur, quem ipsa, urethram obstruentem, digitis propriis extraxit, subsequuto urinæ flumine copioso hocque excipiente momentanea remissione symptomatum. Haud adeo igitur injuriosus est *Fabricius Hildanus l. c. cap. 1.* dum aliquantum acerbius in lithotomos empiricos invehitur, si nimirum absente calculo, talem tamen adesse statuunt. Nunquam satis cautus esse potest clinicus, qui, collatis signis omnibus, tamen aberrare in hoc casu sæpe solet. Evenit id Virgini Nobili Farkasfalvensi in comitatu Scepusiensi, quæ per integrum biennium fere continuo stranguria, & haud raro ischuria, laborabat, unde medici & chirurgi calculum vesicæ adesse statuebant, cum tamen postmodum accuratior investigatio genitoris mei nullum adfuisse satis superque docuit, & eventus ipse id confirmavit. Non igitur illico assentiendum est signis, quæ referuntur, sed prius etiam investigatio suscipienda est, tam mediante cathetere, in vesicam immisso, quam ope digitorum in intestinum rectum in viris, in feminis autem in vaginam uteri intrusorum, sic enim de præsentia calculi certum quilibet facile obtinebit testimonium. In recensito nostro affectu vix aberrare licebat, cum calculus ipse, urinæ transitum plenarie impediens, manibus palpari in virga potuerit.

§. V I.

Quum ergo de ipsius morbi indole nullum dubium superfit, quia sensuum ope illa cognosci facile potuit, hinc saltem nunc in ipsas facti circumstantias paululum inquirere placet, ut & illæ quadantenus enodentur & illustrentur. Refertur in historia morbi, nobilem ægrum naturæ biliosæ, habitus spongiosioris, & constitutionis durioris fuisse. Spongiosiore habitum obtinuit ille à natura, aut duriores constitutionem vitæ genus durius, quod in juventute eligere coactus fuit, ipsi conciliaverat. Temperamentum biliosum partim à nativitate habuit, partim etiam sibi in scholis adscivit. Hinc colligere licet, prout ex quotidiana experientia inter medicos jam constat, spongiosioris habitus homines, sanguineque abundantes, calculo magis esse obnoxios, uti id *Illustris G. E. Stahlus, Theor. med. Sect. II. p. 577.* & *Frid. Hoffmannus Med. rat. system. Tom. IV. Part. II. Sect. II. cap. VI. §. VIII.* asserunt testanturque. In subjecto adducto, sanguineum quidem temperamentum cum spongiosiore corporis habitu adfuit prius, sed biliosa adscititia, & ex vitæ genere durior reddita constitutio, multum illum habitum mutavit, ut minus eidem nunc tribuendum sit. Obesus quidem fuit, sed corpus robustas nactum erat fibras, quæ robore & vigore suo dispositionem talem etiam arcebant. Dandum tamen est aliquid

quid inclinationi naturali in hoc malo, quæ, licet à vigore fibrarum corporis superaretur, tamen concurrentibus aliis causis, illum ipsum exsuperantibus, tandem dispositioni tali qualemcumque activitatem & effectum simul concessit.

§. VII.

Nulla est exceptio apud medicos practicos quoad sexum, qualis nimirum huic malo obnoxius sit, vel non; imo & ætas hic nullum habet privilegium, intuitu præservationis ab hoc malo, ut idcirco vere scripserit *Adamus Brendelius*, l. c. §. IV. ab hoc morbi genere neminem immunem esse: nam observant medici clinici, quod calculo vesicæ potissimum laborant & mares & feminae, infantes & pueri, adulti & senes, adeoque non opus erit, ut speciali subjectorum recensitioni multum immoremur; cum vero medicorum quidam certo non solum sexui, sed & certæ ætati majorem præ reliquis dispositionem ad hoc malum tribuant, paucis utique, quid de eo sentiendum sit, dispicere jam licebit. Sic *Illustr. Hoffmannus*, l. c. calculo renum potissimum feminas præ viris obnoxias esse adserit; *Job. Anglicus*, l. c. p. 489. refert, viros maxime calculo vesicæ laborare, puellas vero & mulieres rarius admodum; *Hippocrates Lib. de Nat. hum. Num. XXIV.* pueros sæpius calculo laborare putat, aut viros haud unquam; & *Sect. III. Aphor. XXVI.* senes itidem illis, qui calculo obnoxii sunt, adnumerat. At *Alexander*, I. *Probl. 108.* pueros non ita frequenter hoc malo, quemadmodum *Galenus*, ex sententia *Hippocratis* autumat, tentari asserit. Interim, si dicendum quod res est, & ratio ab *Hier. Mercuriali Lib. II. var. Lect. cap. XI.* adducta suadet, forsitan vel in eorum regionibus, vel eo tempore omnia illa vera fuisse probari posset, imprimis quoniam ipse *Galenus* fatetur, quod voracitas ac luxus *Hippocratis* temporibus minime vigerint, unde mirum haud est, si nostro ævo quotidiana experientia, optima rerum magistra, contrarium docet, quod nimirum cujusvis ætatis subjecta calculo sint obnoxia, nec ulla detur intuitu cujuscumque conditionis exceptio. Ceterum & hoc veritati quadantenus est consentaneum, quod *Georg. Baglivius*, *Prax. med. Lib. I. p. m. 115.* asserit: Calculum plures interficere divites, quam pauperes, plures sapientes, quam fatuos; aut hoc ipso nec pauperes, nec fatui privilegium quoddam obtinent, cum & observationes prostant, quæ eos quoque calculo laborasse & ex eo obiisse testantur.

§. VIII.

Historia morbi supra adducta porro quoque vitæ genus exhibet, quod à teneris ad quinquagesimum usque observavit nobilis infirmus. *Georg. Baglivius* l. c. inquit: *Vinum, Venus, Otium & Crapula sunt primi parentes*
K 2 *salcn-*

calcolorum. Si ergo conditionem ægroti nostri consideramus, qui novercantem habuit fortunam, facile inde colligi potest, quod ille ipse quandoque parce, quandoque vero laute vixerit. Res enim angusta domi luxum & luxuriam arcet; sed ubi ad hanc occasio suppeditatur, ambabus manibus illa arripitur, & ad nauseam ac languorem usque corporis in illa perseveratur, donec iterum transeat, hocque facto dein abstinentia iterum remedio esse solet, quæ vero, si diuturnior fuerit, plerumque tædiosa, molesta, imo corpori gravis evadit, ut inde non parum œconomia animalis immutetur. Hoc modo pauperum nobilium res agitur, non quod convenit, sed quod præsto est, non quod sanum est, sed quod obtineri potest, comeditur & bibitur; non quantum satis est, sed quantum acquiritur, adsumi solet; abstinetur ob defectum, non vero quod abstinentiam constitutio corporis requirat; devoratur & hauritur plenis buccis, quamdiu aliorum abundantia id permittit. Hinc etiam haud aberrabit is, qui illorum diætam cum ea, quæ in castris observatur, comparaverit. Fames sæpe somno compefcitur, & vestitus vacuitatem stomachi contegit; sæpius ad illam abigendam exspatiationes fiunt, atque in gratiam benefactoris graves non raro subeunt commotiones, quæ exhaustum viribus corpus magis adhuc defatigant, stomacho tamen opitulatur, ne oneri ingesto succumbat, sed succum optimum nutritium tanto facilius elaborare queat. Hanc si dixerò vitam vixisse nobilem nostrum infirmum, à tenera ad virilem usque ætatem, vix aberrabo, confirmant eandem propria eatenus non semel facta declaratio & confessio, quam veram fuisse, testatur experientia. Juri Patrio ubi incumbere, haud melior illa fuit: in regno enim Hungariæ Juris scientiam sibi vendicat nobilitas, quam etiam discunt ab Advocato Regni, ad quem Juris studiosi aliquot se se conferunt, & ab eo domo & mensa excipiuntur, hæcque schola Juris, *Patvaria* titulo condecoratur. In tali schola discipuli vocantur *Scribae*, Præceptores autem *Procuratorum* nomen gerunt. Ejusmodi procuratorem, seu præceptorem, semper sequi debet discipulus, & cum illi non in uno dumtaxat loco praxin exercent juridicam, sed per totum regnum, & in diversis sedibus & dicasteriis; hinc fit, ut vitam fere in itineribus transigant, dum ab uno cliente ad alium, vel ab uno dicasterio ad aliud proficiscuntur. Comeditur non quando tempus est, sed quando ratio status id permittit; fercula sumuntur calida & frigida, acida & dulcia, pingua & macra, cocta vel semicocta, hauritur liquidum quod offertur, non quod placet, aut convenit: tempus quietis fit tempus commotionis, etiam sæpissime violentæ: nutant palpebræ oculorum, sed excitantur vel haustu, vel aliis mediis. Occasio porrigitur ad excessus quosvis, absque tempore convenienti, & interstitio fere ullo. Quibus natura bonam dedit constitutionem, eorum corpora hac diætâ firmantur, fiuntque duriora & ad quævis perferenda apta: quibus autem denegavit illam, eorum sanitas vel plane destruitur, aut ubi tale vitæ genus evitare volunt, perpetuis vexationibus sollicitantur, unde

unde ipsorum animi perturbantur, corpusque vim hujus perturbationis facillime experiri cogitur. Nobilis ergo noster infirmus cum æque hanc sectari vitam in juridica schola debuerit, vigorem majorem corporis inde obtinebat, & idcirco etiam nunquam, vel rarissime, adversam sensit valetudinem. Vigor hic magis adhuc obfirmabatur, postquam ipse Advocatus, seu procurator factus fuit, proventusque sic obtinendo majores, etiam non tam commode, quam ex consuetudine, non tam convenienter, nisi prout circumstantiæ admiserunt, quam erga alios officiosè, sæpe sedendo, sæpe iter faciendo, plurimumque excedendo in rerum salubrium usu, vixit. Nihilominus tamen contingit illi mens sana in corpore sano, donec officio Notariatus admotus, ab inordinata, hactenus tamen consueta, diæta recessit, & loco commotionis continuæ, perpetuo fere sedentariam ducere debuit vitam, in qua cum per biennium ita perseverasset, tandem prorsus inopinatè in morbum prædictum incidit. Vere igitur observavit nobilis hic infirmus, diætae leges, ab *A. C. Celfo Lib. I. de Medic. Cap. I. præscriptas*, sequentibus verbis: *Sanus homo, & qui bene valet, & sua spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neque Medico, neque Jatrolipta egere. Hunc oportet varium habere vita genus: modo ruri esse, modo in urbe, sæpiusque in agro: navigare, venari, quiescere interdum, sed frequenter se exercere. Si quidem ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti: modo ungi, modo id ipsum negligere: nullum cibi genus fugere, quo populus utatur: interdum in convivio esse, interdum ab eo se retrahere: modo plus justo, modo non amplius assumere: bis de die potius, quam semel cibum capere, & semper quam plurimum, dummodo hunc concoquat. Quamdiu autem has observavit, legibusque sanitatis obtemperavit, tamdiu etiam de nulla vi, ordinario suo vigori illata, conquerebatur; quamprimum autem sedentariæ vitæ subito se se devoberat, statim etiam obnoxius fuit redditus tali malo, de quo ne per somnium quidem cogitaverat. Notandum autem est, quod sub hac sua vita sedentaria vino & crapulæ haud valedixerit, sed potius strenue illud bibendo continuaverit, lautioreque mensa usus fuerit, unde adparet, quod *Baglivius* optimum verissimumque tulerit iudicium. Recte etiam proinde *Hypocrates Sect. II. Aph. 30.* inquit: *Ex multo tempore consueta, etiamsi deteriora fuerint, inconsuetis minus molestare solent; & Aph. 49.* ait: *Adsueti consuetos labores ferre, etiamsi fuerint debiles, aut senes, non adsuetis fortibus ac juvenibus facilius ferunt.* Confirmat hoc infirmus noster *Nobilis*, qui, licet diætam in victu haud mutaret, subito tamen ex continua commotione in perpetuam fere vitam sedentariam transiendo, summam corpori mutationem hoc modo inducere debuit, præsertim cum vinum & crapulam haud evitaret, quæ tamen vigori humano summe adversantur, prout recte rursus *Celsus l. c. cap. III.* & ex recentioribus *Nob. Du. à Berger in Diss. de Errore Diætae in Potu, & in Diss. de commodis vitæ sobria,* it. in *Diss. de vita longa*, monuit, Vita enim sedentaria humores reddit segniores, ut*



ignavo progrediantur motu, vel penitus stagent, & debite distribui haud queant, unde obstructions inducuntur, corpus variis impuritatibus repletur, quæ alias sub exercitatione se & excernebantur, adeoque magna in corporibus fit ponderis accessio ex humoribus non sufficienter digestis, & in vasis suis nimium accumulatis, hinc sanguis fit impurus, corpus debilitatur, circulus humorum retardatur, excretiones atque recrementorum expurgationes languent, sicque ad morbos varios suscipiendos corpus humanum disponitur. Catalogum morborum recenset *Fonseca, Lib. de tuenda sanitate p. 37.* & in horum numerum quoque refert calculum, cum illo tamen additamento, si cum crapula ac libidine otio indulgetur. Vita igitur sedentaria infirmo nobili in causa erat quod calculo vesicæ laboraverit, non tantum ex se, sed & quod diætam sectatus fuerit vinosam atque inordinatam, quemadmodum eventus docuit, & similes ab aliis Medicis notati casus testantur. *Thomas Sydenhamius Tr. de Podagra* refert, galorum complures ob id esse calculosos, quod vinum pro potu ordinario bibant. Cruda assumpta crudos succos in otiosis generant, & fibræ motricis tonum, seu vim elasticam, otium solvit, quemadmodum etiam inade viscera, chylicationi, sanguificationi & secretioni humorum dicata, debilitantur, relaxantur, ut officio suo haud satisfacere possint, unde tandem generationi calculorum via sternitur. *Raro enim, inquit Adam Brendelius l. c. §. XV. præfatæ causæ solæ & simplices existunt, sed plerumque plures consociantur, & vis unius alterius accessione invalescit atque incrementa capit.* Unde nemo amplius miretur, *Nobilem infirmum* calculosum factum esse.

§. I X.

Tanto magis autem rei veritas confirmaretur, si constare certo potuisset, an hæreditariam habuerit nobilis infirmus ad calculum dispositionem. Cum enim is triennis parentibus orbatus fuerit, hinc nec de illorum constitutione quidquam referre potuit, quod huic rei lucem accendisset majorem. Sed vix existimarem, Parentes huic malo fuisse obnoxios, cum illis res fuerit angusta domi; calculo autem ditiores, qui laute vivunt, tantum laborare, haud improbabile existit; & rarissimæ occurrunt observationes de calculosis pauperibus, nisi hæreditario quodam jure tales redditi fuerint. Cum igitur quotidiana testetur experientia, non omnes calculosos fieri ex hæreditate, sed etiam sæpissime tales calculo laborent, quorum antecessores post hominum memoriam omnes inde fuerunt immunes, hinc minus dubitare licebit, quod & noster ægrotus calculo laborare potuerit, licet parentes ejus tali malo nunquam affecti fuerint. Quamvis enim calculus inter affectus hæreditarios referatur à Medicis Practicis, teste *Francisc. Joel, Lib. VI. Prax. Sect. II. Q. 9.* & *Joh. Dolæo, Encyclopæd. Med. Lib. III. Cap. XIII.* negari tamen haud potest, quod etiam in talibus generetur hominibus, qui nullam hæreditariam dispositionem nacti fuerunt, quemadmodum bene monuit

monuit *Heur. Petrus*, in *Nosolog. harmonica*, Tom. II. *Diss. XL. §. 18.* & observationes clinicorum idem confirmant. Sic Consul quidam Regiæ Liberæque Civitatis Kemarkiensis, ex observatis genitoris mei, luculentissimum tale præbere potest exemplum, utpote qui ex diuturno calculi vesicæ cruciatu mortem tandem subiit, cum tamen ejus parentes nunquametiam levissime saltem inde afflictæ fuerint. Quemadmodum ergo vix quisquam hoc in dubium vocabit, ita alia nunc, & quidem magis intricata exoritur quæstio, de calculo infantum, num is semper sit hæreditarius? Mirandum plane est, vix modo in lucem editos, jam calculi torminibus excruciiari, quod licet observatio quotidiana monstret, nihilo tamen minus Scriptores Medici in eo haud conveniunt, num vesicæ, aut renum calculo tales infestentur, quibusdam nempe vesicæ, aliis vero renibus unica hoc incommodum tribuentibus: Sed cum utriusque sententiæ Patroni observationibus eandem corroborent, optimo hinc jure colligitur, infantes & renum & vesicæ calculo laborare, quamvis & id experientia doceat, quod plures occurrant, qui vesicæ, quam qui renum calculo laborarunt, teste etiam *Illustri Stahlio l. c. p. 577.* Hoc ergo cum observarent Medici prudentiores, ejusque causam medico-physicam exactius indagare vellent, in diversas iterum abierunt partes, dum alii eodem modo id evenire existimabant, sicut in adultioris ætatis subjectis, ex usu nempe rerum insalubrium; aut laudatus modo *Stahlius, l. c.* idem contingere statuit ex dispositione hæreditaria, & excitatis gravioribus irritationibus renum in tenerioribus corporibus, à quibus ejusmodi ulceroso-fabulosa materia in renibus colligitur. Licet autem dispositio hæreditaria negari haud possit, in genere tamen & ordinarie illa supponi non potest, ubicunque in tenera ætate calculus occurrit, nec etiam irritationes renum semper ejusmodi ulceroso-fabulosam producant materiam, ex qua calculus formari possit, prout experientia ipsa, contrarios sæpe casus exhibens, id exacte monstrat. Sic recordor similem casum genitori meo obvenisse, in infante à parentibus sanis nato, in quo, post prægressos dolores acerbissimos, duodecima à nativitate septimana, in urethram propulsus fuit calculus, nucleo Dactylorum similis, cumque ibi velut impactus hæreret, tandem etiam manu chirurgi, blande comprimendo digitis pinguibus virgam, exemptus fuit, absque ullo postmodum infecuto novo insultu calculoso, licet nunc decimum quintum ætatis annum agat, quod alias omnino fieri debuisset, si vel hæreditaria dispositio, vel collectio ulceroso-fabulosa circa renes in causa fuisset, quemadmodum etiam parentes ipsius adhuc sani vivunt, nullisque unquam calculi doloribus cruciati fuerunt. Patet ergo exinde, quod non modo à calculosis parentibus etiam calculosi prognascantur infantes, sed & à non calculosis tamen quandoque calculosi generentur, adeoque nec hæreditaria dispositio, nec collectio ulceroso-fabulosa in renibus pro universali causa venditari queat, siquidem etiam hæc ultimam non omnes calculosi in sectionibus anatomicis, post mortem institutis, monstrant.



§. X.

Cum porro nobilis hic infirmus sanam semper hæcenus duxerit vitam, nec de morbo aliquo prægresso conqueri potuerit, multo minus vel hæmorrhoidalibus, vel etiam narium hæmorrhagiam respicientia molimina unquam observavit, merito hinc aliæ causæ, calculum tamen producentes, ejusque concretionem facilitantes, indagandæ sunt. Vitam sedentariam superius jam allegavi, nec non diætam vinosam, sed præter has etiam merito huc referenda est regionis constitutio. A juventute sua, usque ad quadragesimum fere annum, prope Basinium plerumque habitabat, inde vero ad comitatum Saroffiensem, ac tandem in Scepusiensem venit, cumque deinde in civitate Kesmarkiensis officium Notariatus obtinuerit, hinc etiam sedem suam fixam ibidem posuit. Terra autem tota Scepusiensis, aquas tam fluviales, quam fontanas, paucissimis saltem fonticulis exceptis, imo & puteales, in universum habet tophaceas, quæ in magna quantitate tophaceum sedimentum deponunt, quemadmodum etiam similis materia sub coctione vasi circum circa adhæret, & hinc est, quod ordinario usui destinata talis aqua, in non adfuetis multorum malorum causa evadat. Primo igitur ex dictis his elucescit, subitanum illum transitum ex regione calidiore in frigidiorē, hic quoque considerationem mereri. Bene enim monuit *A. C. Celsus, l. c. Cap. III.* experientia confirmatus, quod *neque ex salubri loco in gravem, neque ex gravi in salubrem transitus satis tutus sit.* Quod autem imprimis aquæ comitatus Scepusiensis plurimum huc contulerint, quilibet facile admittet, cum calculosi in tanto numero observentur, in quo nunquam in aliis superioris Hungariæ Comitatibus occurrunt, ita ut, si endemium hæc malum terræ Scepusiensis esse dixeris, haud à veritate ipsa aberraveris: Endemii enim morbi ex causa communi, indigena & permanente grassantur, & hinc est, quod *proprii* dicantur, & certis regionibus ac populis familiares existant, prout fufius hoc demonstrat *Illustr. Hoffmannus in Diss. de morbis certis regionibus & populis propriis.* Inter causas autem domesticas & proprias, calculum producentes, primariam atque præcipuam omnino constituit ipsa aqua. Hæc enim ad cibos coquendos adhibetur, ex hac cerevisia conficitur, & sola etiam ad sitim extinguendam hauritur. Quare *Hippocrates Lib. de Aère, Aquis & Locis,* Medico summopere commendat, ut in praxi sua exquisitam aquarum cognitionem in locis, ubi illam exercet, si alias felicem sibi successum promittere voluerit, acquirere nitatur, nec sine ratione: Est enim aqua universalis liquor, qui debitæ humorum fluiditati conservandæ inservit, & cum idcirco eadem in vita humana haud carere queant homines, hinc etiam si qualitercunque insalubris illa existat, statim non solum ad morbos disponit, sed & eosdem facile infert. Recte igitur inquit *Illustris Hoffmannus, Med. rar. system. Tom. 1. Lib. II. Cap. VI. §. X. Aqua, quo purior, quo subtilior & levior est, eo magis sanitati inservit; quo vero magis hetero-*

hetero-

heterogeneis partibus referta, quo gravior, eo minus salubris habenda est. Sed quis aquæ Scepusiensi bonitatem adscribet, si insignem illam copiam ramentorum tophaceorum considerat, quæ, licet ad sensum haud appareant, cum adfectu sit clara puraque, tamen abunde illorum præsentiam produunt vasa, in quibus adservatur, vel coquitur. Non autem tantum montanæ aquæ talibus imprægnatæ sunt ramentis tophaceis, utpote quæ ex Carpaticis montibus inter saxa præcipiti cursu velociter defluunt, qualis sunt Popradi, Dunavec, Hernadique & omnium rivulorum, ex montibus Carpaticis, & oppositis iis, defluentium, atque in prædictos fluvios sese exonerantium; sed & insuper omnium aliorum rivulorum e. g. Leutschoviensis, Leibicziensis &c. itemque puteorum & fontium aquæ, quæ, licet tam celeri cursu non fluant, nihilominus tamen, una cum puteis & fontibus, plus materiæ tophacæ in sinu suo fovent, quam aquæ ex Carpato defluentes. Exinde itaque colligere licet, quod omnes aquæ terræ Scepusiensis plus minusve ramentis tophaceis sint imprægnatæ, & sic etiam causam præbere valeant, cur incolæ hujus comitatus, in specie qui otio dediti sunt, vitamque sedentariam agunt, calculo vel sabulo, speciatim autem vesicæ urinariæ, frequentius laborent. Excusat equidem Job. Godofr. Nob. Dom. à Berger, Tr. de Therm. Carolinis Cap. IX. aquas Thermarum Carolinarum, quæ inter alia elementa, etiam ramenta lapidosa in sinu suo fovent; ast nihilominus haud veretur profiteri Illustris Hoffmannus, in Diss. de Carolinarum causa caloris, virtute & usu, Cap. IV. quod ob eadem ramenta aquæ hæc valde graves, ponderosæ, duræ & crudæ sint, unde etiam difficulter per hypochondria transeunt, per urinam & per alvum tarde ejiciuntur, caput gravant, somnolentiam inducunt, & hinc inde in tubulis corporis stagnantes diversos morbosos gignunt affectus. Speciatim autem id frige factis, aut tepidis aquis adscribit, unde & harum potum pro perniciosissimo habet, cum nauseam, flatulentiam ac tormina excitare soleant, & appetitum ac vires nimium quantum frangant. Quod cum de aquis thermarum Carolinarum adseritur, quæ tamen sale nitroso etiam sunt imprægnatæ, uti primus notavit Illustris de Berger l. c. Cap. IV. ita tanto magis hoc dicere licebit de aquis terræ Scepusiensis, sanitati nempe eadem esse perniciosissimas, siquidem calculorum materiam corpori suppeditant, unde & experientia testatur, quam plurimos calculo aut sabulo, vel renum, vel vesicæ laborare, ita, ut quibusdam familiis hæc mala hæreditaria nunc snt. Unde autem aquæ lapidea ista ramenta habeant, facile investigari potest, si modo consideramus, quod regio Scepusiensis tota montosa sit, cujus montes ex ipsis stratis lapidum, ac si nimirum stratum supra stratum cerneret, compositi sunt: unde inter hæc strata decurrentes aquæ, præcipiti suo cursu ramenta lapidosa secum abripiunt, & continuato motu sibi appropriant. Quod autem hæc re vera ita eveniant, testes esse possunt aquæ e fornice antri Haligocziensis stillantes, quæ quam primum ad fundum decidunt, illico in variæ figuræ lapides concrefcunt, jucundo sane curiosorum spectaculo. Quodsi igitur supra allegatas

Tom. IV.

L

aquas



aquas Nobili nostro ægrotò calculum produxisse dixerò, vix erroris quàm me arguet, præsertim cum is antea salubrioribus aquis aduetus, subito harum usum admisit, & accedente vita præter consuetudinem sedentaria, nec non continua diætâ vinosa, ab adolescentiæ annis huc usque semper servata, facile noxam illam ab aquis expectandam augere magis potuit.

§. XI.

Aliam equidem adhuc causam *Mart. Listerus in Diff. de calculo*, adducere videtur, quæ calculorum generationi multum favet, videlicet nitrum suum calcarium & ochram pyritæ; quomodo autem hæc calculorum causæ productrices esse possint, prolixè exponit laudatus *Adam Brendelius, l. c. §. XI.* imò *Illustris Du. de Berger, l. c.* hoc assertum experimento quodam peculiari quadantenus confirmare intendit, inquit: *Id quidem verum esse, experientia didici, in sabulo urina rubro flavoque, ochræ instar se habente, & ipsis ejus coloris calculis quorundam hominum, aliquas moleculas ferreas inesse, atque, exusta quoad satis est ejusmodi materia, magnetis ope separari, ita ut nihil dubitem, quin multæ aquæ, multique fructus terræ, quosdam pyritæ halitus, unde moleculæ illæ ferreæ proficiantur, secum ex terra gerant, vel relapsos ex aère cum pluviis recipiant, ut cum victu in corpora nostra ingerantur.* Licet ergo hæc hypothesis etiam ad comitatum Scepusiensem applicari possit, siquidem in eo non tantum lapidis calcarii, sed & marchasitæ magna & immensa copia occurrit, & halitus quoque pyritæ in fodinis ipsis copiosi deprehenduntur, ita ut nullus eosdem in dubium vocare queat, demonstrante id *Genitore meo in Comment. de calore atmosferico, & in Tract. de terra medicinali Tokayensi*, nihilominus tamen, cum illius intuitu hoc adhuc obstat, quod non sit universalis, & ad totam terram Scepusiensem, juxta hodiernam observationem, applicabilis, hinc etiam induci haud possum, quo existimem, illam quoque in numero causarum mali hujus endemii locum occupare. Interim tamen illi meum non denegaturus sum adfensum, qui ad causarum concurrentium & adjuvantium classem illam referre voluerit. Halitus enim illi negari haud possunt, nec contrarium intuitu aquarum ipsa experientia demonstrat, quod nimirum illæ per strata etiam lapidum calcariorum fluant: quoniam vero non omnes aquæ per similia strata feruntur, & halitus pyritæ per ventos, in Comitatu Scepusiensi fere continuos, dissipantur, hinc etiam non nisi inter dictas hæc causas easdem locum habere posse existimarem.

§. XII.

Alias etiam communis est practitorum sententia, calculosos simul esse podagricos, & vice versa podagricos esse & calculosos, notante id *Hildano l. c. Cap. II.* At, bene etiam novi, & hoc postulatum practitorum non esse

esse tam universale, ut axiomatis medici titulo insigniri possit, cum non semper hoc ita observetur, & quotidiana experientia sistat casus subjectorum, calculo sine podagra & vice versa, podagra sine calculo laborantium. Negari tamen & id nequit, quod plurimi podagrici sint simul calculosi, pauciores tamen existant calculosi, qui simul quoque sint podagrici, & hoc quidem pro ratione vinorum, qui illis in potum velut ordinarium cedunt. Vina etiam tartarea & calculos & podagram producere, unanimi consensu à Medicis statuitur; quod & de vinis adulteratis & infumatis quoque asseritur; at vinum sulphureum, nec ullo artificio vel confecta, vel infumata, raro calculos, & rarissime podagram producere, experientia Hungariæ superioris incolas satis superque docet. Vina Hungarica, quæ suo jure optima ab *Illustri Hoffmanno in Obs. Phys. Chym. Lib. I. Obs. XXIV.* appellantur, duplicia sunt, nempe sua natura, sulphurea & tartarea; illa sunt fetus Hungariæ superioris altissimorum montium, hæc vero inferioris, & ex parte superioris Trans-Tibiscanæ. Tartarea itaque hæc vina, cum nonnisi in summo defectu in usum trahantur in superiori Hungaria, cum sulphureis generosissimis adsueti illa flocciendant; imo nauseare soleant, hinc fit, ut etiam in his regionibus podagra sit rara avis, & si quis illa laborare deprehendatur, is vel vina tartarea in peregrinatione hausit, aut peregrinus est, i. e. ex inferiori Hungaria oriundus, vel denique hæreditario jure eandem à parentibus obtinuit. Hinc nemo Medicorum de eo, uti spero, mirabitur, quod in Comitatu Scepusiensi rarissime observetur podagra cum calculo, vel calculus cum podagra, idque non aliam ob causam, quam quod Scepusienses, non nisi sub defectu vini superiorum regionum Hungariæ, raro admodum vino utantur tartareo, sed potius sulphureo, sive aromatico. In praxi sua diuturna & diffusa non recordatur se observasse, genitor meus, conjunctos hos morbos, nisi quod in Consule Kefmarkiensi, *Paulo Roxer*, podagra occurrerit, cui se adfocebat calculus vesicæ ingens, magnitudinem ovi anserini æquans; ex quo, cum laborare incepisset, podagra etiam evanuit, nec unquam postea rediit; verum & hic sæpius vinis tartareis usus fuit, quippe cum quibus etiam quandoque quæstum exercere solebat. Ex hoc casu id quoque intelligitur, quod ab initio statim adsertum fuit, hocce nempe postulatum Medicorum non esse universale, sed tunc demum verum esse, quando causæ, quæ malum producere possunt, adsunt. Unde nec mirandum est, quod nobilis noster infirmus, licet ex inferiori Hungaria oriundus, vinisque regionum illarum adsuetus, tamen podagra non fuerit adfectus, etiamsi calculo laboraverit. Non enim omnes omnino homines, iisdem vitæ regulis adstricti, iisdem etiam morbis subjiuntur, quoniam plures etiam aliæ dantur causæ unum eundemque effectum diversimodè producentes.



§. XIII.

Hoc tamen majorem omnino excitat admirationem, quod ægrotus hic nullum sensum calculi, in vesica gestati, observaverit. De nullo enim unquam symptomate molesto conquestus, sanus sibi omnibusque hominibus videbatur. Raræ sunt similes observationes medicæ, occurrunt tamen quandoque, sed tunc demum, quando hospes peregrinus prodit, unde, dum similes casus fusius recenset *Job. Nicol. Pechlinus, Obs. Phys. Med. Lib. I. Obs. IX.* sequentibus verbis admirationem suam simul exprimit: *Si renum latibula sinuosa, si angustiam itineris urinarii, si sensum partis nervæ, & tot laborantium ærunnas attente consideramus; vix fieri posse videtur, ut peregrinæ ejusmodi, solidæ, tuberosæ, atque acutæ calculorum moles sine omni dolore e corpore excernantur.* Experientia ipsa igitur hanc rem comprobante, negari eadem nequit, licet ratio non videat, quomodo se expedire possit. *Multos constat esse repertos, qui sine dolore calculum diutissime intus foverunt, inquit ex lectione & observatione confirmatus Jod. Lommius Obs. medicinal. Lib. II. p. m. 193.* Unde elucescit satis superque, quam cautus esse debeat medicus clinicus, si non nocere, sed prodesse vult. Sæpe sub larva quadam admodum occulte comparent mala, ut hostem cognoscere etiam lynceis oculis haud liceat, testantibus id *Annalibus med. phys. Wratislaviensibus, Anno 1719. M. Octobr. Class. II. Artic. I. & Anno 1721. M. Jul. Class. IV. Artic. X.* Cumque etiam præsentia symptomata sæpius medico imponant, ut incertum pro certo adsumat, eventusque sinistros inducat, his inhærendo: jam suo tempore conquestus est *Celius Aurelianus Lib. V. Morb. chron. cap. IV.* de infidis calculi signis, hincque est, quod varios modos certitudinem ejusdem investigandi, veteres medici excogitaverint. Et *J. J. Joepferius l. c.* agnovit ultro, incerta esse calculorum signa, quod vel & casus à genitore meo notatus in *Graffio XIII. oppidorum* confirmat: hic omnia signa calculi vesicæ exhibuit; sed ubi cathetere applicato & digito in anum immisso explorabatur, pro majore rei certitudine, nullus calculus detegi potuit, unde etiam medicus vicinus pro absentia calculi disputavit. Genitor meus equidem calculum non æque adesse statuit, sed calculosam, seu tophaceam materiam, lateribus vesicæ adhærere, ex continuo stillicidio urinæ mucoso-purulentæ conclusit, prognosticoque se munivit, quod accedente febre inflammatoria, æger moriturus sit, quod & factum, & cultro anatomico veritas sententiæ genitoris detecta fuit.

§. XIV.

Ex hætenus ergo expositis satis superque constare potest, quod *nobilis hic infirmus*, diætæ suæ inordinatæ à teneris haud valedicens, in specie
vero

vero vitiosæ, accedente subita mutatione vitæ laboriosæ in sedentariam, ac insuper talem locum mansionis eligens, in quo calculus morbus existit proprius, & qui priori quoad clima contrarius fuit, omnino hinc ad calculosa symptomata disponi debuerit. Nam ex congestis sub ingluvie cruditatibus ac fecibus, exercitationum negligentia retentis, accedente vesicæ adscititia dispositione, causisque supra memoratis, calculi fundamenta jacta, successuque temporis insensibiliter aucta fuerunt. Hæc enim semina calculosa in sanguinem delata, laticem illum serosum à sanguine secretum pariter inquinant, & in vesicam dein propulsa & accumulata, ac temporis mora sub diuturna stagnatione concreta & coagulata, in lapides coalescunt, prout hoc egregie & solidissime demonstrat *Nob. Du. à Berger, Lib. I. de Nat. hum. cap. XII.* Hinc ergo rursus colligere licet, ineptire admodum illos, qui cum *Job. Fernelio* omnem calculum vesicæ in renibus primo generari, in his vero generatum, per ureteres in vesicam urinariam transire, ibidemque mole sua augeri, statuunt. Fateri quivis cordatus cogitur, hanc sententiam tunc temporis ab initio unanimi medicorum consensu approbatam fuisse, ita ut & hodie quidam adhuc supersint, qui eandem defendere nituntur, quamvis & tales dentur, qui illam saltem aliquantulum modificant, quemadmodum id fecisse legimus laudatum paulo ante *Illustr. Stablium l. c.* Hoc quidem certum est, quod sanguis vi cordis propulsus per arterias emulgentes, ex ipso aortæ trunco provenientes, per omnes earum capillares ramulos ad renes profluens, in tenues & angustos illorum tubulos debitam feri excrementitii portionem transfundat, eaque hinc per illorum fasciculos & horum papillas ac fistulas membranaceas, perenni ploratu successive in pelvim, sive in infundibulum destillet, quemadmodum id experimenta à *Frid. Ruyfchio in Thes. Anat. I. II. III. § IV.* adducta, itemque injectiones *Nob. Dom. à Berger, l. c.* descriptæ, & inflationes *Ant. Nuckii in Adenograph. curiosa p. 60.* notatæ, jucundissimo spectaculo demonstrant & confirmant. Hoc facto dein juxta eadem experimenta liquidum destillatum, ex principio ureterum propulsum, continua subsequens liquoris pressione per ureteres, ad vesicam usque extensos & inæquales, (notante enim *Nuckio l. c. p. 76.* tribus, quatuorve, & aliquando quinque in locis, speciatim circa illorum in vesicam insinuationem, angustati conspiciuntur,) lumbarem regionem oblique transcurrentes, successive non tantum ratione molis & gravitatis propriæ, sed quoque eorundem ureterum motus peristaltici, seu constrictionis successivæ, quam tunica eorum fibrosocarnæ præstat, in matulam publicam, videlicet vesicam, descendit, sensimque ibi colligitur, donec vel moles & copia, vel acrimonia, illam ad excretionem per urethram stimulet, quæ dein mediante contractione propria vesicæ contingit, quam fibræ tunicæ carnosæ præstant, siquidem etiam concurrens musculorum abdominis contractio actionem hanc magis adhuc adjuvat & accelerat. Hæc igitur sunt organa talesque sunt viæ se & excretionis urinæ, quas anatomicorum industria de-



textit, & physiologorum sagacitas investigavit. Nullæ, ad hanc actionem perficiendam, requiruntur facultates veterum, aut specificæ loci fræcedines, juxta mentem *Mart. Listeri*, in *Diss. de Humoribus cap. XXXIII.* nullæ coctiones & digestiones *Helmontianorum*, aut transmutationes materiæ ad secretiones, nulla etiam fermenta sanguinem vel præcipitantia, vel, uti *Thom. Willis*, *Pharm. ration. Part. I. Sect. IV. cap. I.* voluit, illum potius fundentia, aut vero ipsius sanguinis fermentationes, cum illa mera sint entia rationis, præter necessitatem cum summo damno in artem nostram salutarem introducta, quæ doctè & argute e foro medico eliminantur, *Archib. Pitcairnius*, *Nob. Dom. à Berger*, *Job. Bohnius*, *Rob. Boyle*, *Fr. Hoffmannus*, & alii. Hinc facile ex dictis colligere licet, quod cum seminia calculosa cum sanguine, mediante motu progressivo, ad omnes corporis animalis partes ferantur, etiam in omnibus illis calculi generari possint, quanquam de reliquo, teste experientia quotidiana, nusquam magis & sæpius id eveniat, quam in renibus & vesica. Quemadmodum autem hoc ex communi consensu medicorum abunde jam constat, ita nullo modo exinde inferri potest id, quod *Fernelii* asseclæ concludere volunt, cujus sententiæ vanæ cum se opposuerit *Illustr. de Berger l. c.* hinc verba ejus hic repetere juvabit, quæ sequentis sunt tenoris: *Neque tamen omnem vesicæ calculum suam in renibus matricem habere existimandum est cum Fernelio, cum neque nuclei in omnibus vesicæ calculis reperiantur, neque in pueris idem admitti queat, qui cum integros & illæsos habeant renes, calculo tamen vesicæ maxime sunt obnoxii, ac fieri omnino potest, ut quando urine diutius in vesica retinetur, & duris ejusmodi, quas diximus, ac crassioribus particulis prægnans & onusta est, hæc se se comprehendant & subsideant, factoque ita cohesionis fundamento, nunc citius, modo tardius, ex eadem materia augeantur, eodem propemodum modo, quo matulis diu usurpatis arenosa ac sabulosa accrescit materia, quæ nisi purgetur, in squamas, crustas, & tandem lapides abit. Et si nova materie appositione & congestione ex nucleis, ex renibus demissis, calculi in vesica fieri & augeri possunt, quid obest, quo minus illi ibidem originem sumere queant. Nec minus his argumentis & Illustri Stahlis satisfieri potest, præsertim cum ipsa experientia & observationes illi manifesto obstant. Loquuntur contra eum omnes anatomie practicæ Scriptores, dum illæsis renibus calculi tamen in vesica reperiuntur; siquidem etiam ulceroso-sabulosa renum dispositio non semper in renibus ipsis observatur, nisi cum illi jam à calculo vel sabulo vitium obtinuerunt. Non semel vidi in praxi genitoris mei, calculos post mortem e vesica exemptos, sine ulla labè vel renum, vel ipsius etiam vesicæ, præterquam quod inflammationis indicia hæc exhibuerit. Imo infantes calculo vesicæ laborantes, si vitium tale præsto esset vel in vesica, vel in renibus, continuo calculum de novo generarent; cum tamen prostent observationes, quod expulso semel calculo, per totam vitam ab eodem prorsus immunes vivant. Ipse noster nobilis infirmus exemplum nobis exhibere potest, quoniam*

quam

niam cum semel à calculo liberatus fuerat, mutata & derelicta dein vita sedentaria, nunquam amplius qualecumque incommodum inde sensit. Hæc vero à viro acutissimo excogitata est dispositio, quo hypothese suæ confu-leret. Possunt quidem similia fieri in Philosophia naturali, ast nostra ars salutaris ab hypothesebus incertis abhorret, quoniam nullam plane utilitatem, quocumque etiam modo applicentur, abinde sperare licet.

§. X V.

Restat adhuc, ut brevibus adhuc etiam exponamus calculorum causam, quæ, licet hætenus à medicis practicis nunquam fere adducta sit, tamen omnino meretur, ut hoc respectu aliqualis ejus fiat mentio. Nota est controversia, inter anatomicos & physiologos agitata, de viis occultis urinæ ad vesicam urinariam tendentibus, ita ut mirati fuerint medici, qui præeunte *Isbr. de Diemerbræeck Anat. Lib. I. cap. XVIII.* vel per vasa lactea, aut per illa & lymphatica, urinam immediate, vel ex ventriculo & intestinis, per membranarum suarum poros cæcos ac venas, vel ex glandulis & receptaculo lumbari, juxta sententiam *Thom. Bartholini, Hist. Anat. de Lact. Thoracis cap. VIII.* vel ex vasis lymphaticis, partim cum arteriis emulgentibus junctis, partim vero ad receptaculum chyli commune abeuntibus, & per ductus peculiare, cum renibus communicantibus, sicuti statuere deprehendimus *Olaum Rudbeckium in Lib. de vasis glandul. serosis*, cui quadantenus etiam favere videtur *Thom. Willisus in Pharm. ration. Sect. IV. cap. I.* vel ex præfatis vasis & ductibus locisque simul, uti asserit *Math. Tillingius, Tr. de admirand. renum structura, Sect. I. §. 110. seq.* urinam extraordinario quodam modo ad renes deferri; vel, neglectis iisdem, aliquam lotii portionem ex ventriculo & intestinis, per obscuros quosdam meatus, immediate magis ad vesicam derivari autumant, prout hoc ultimum asserit experimentoque confirmare intendit *Anonymus Gallus in Transact. Phil. N. 65. §. 67.* Haud etiam ignotum est, quod optimi fere omnes anatomici huic sententiæ se se opposuerint, viasque illas pro imaginariis & fictitiis habuerint, cum à nemine unquam, post tot tantasque cadaverum variorum sectiones, nisi oculo forte vacillante & decepto, visi cognitique fuerint, quemadmodum id fufius exponunt, *Job. Bohnius in Circul. Anat. Physiol. Progymnas. XIV. & Philipp. Verheyen in Suppl. Anat. Tr. I. cap. XXIX.* Nihilominus tamen fuerunt etiam, qui cum *Nob. Dom. a Berger, l. c.* ultro facti sunt, licet & hic prædictas vias plane impossibiles esse declaret, *unicam* fortasse excipiendam esse vesicam, in quam per poros, foras introsipientes, vapores & expirationes interiorum viscerum abdominis contendere, urinæque ex sanguinis undis & renibus venientis moles augeri, ac per eosdem poros asciticorum aquæ exitum interdum invenire possent. Hæc autem confessio sincera tanto magis admiratur à practicis, quo magis effectus suppressæ excretionis urinæ eandem videntur confirmare; imo,

imo, cum in dies quoque observentur curationes hydropicorum, per medicamenta diuretica, quales optimas esse censet *Illustr. Joh. Henr. de Heucher. in diff. de Cantel. in cognit. & curat. Hydrop. necess. Caut. IX.* Si ergo hanc ipsam adferriorem futurum tempus magis confirmaverit, tunc etiam certiora inde desumi poterunt argumenta, pro adstruenda calculi generatione in vesica, sine omni adjutorio renum, quæ in præsentiarum tantum ut probabilia, inter se ipsos agitare debent medici. Quamdiu autem probabilia solum sunt, tamdiu minus in medicina valent, quoniam hæc non nisi certa data habet, si certam illam esse convictus sis, demonstrante *Boerhaave in Orationibus de commendando studio Hippocratico, de repurgate Medicina simplicitate & de comparando certo in Physicis.*

§. X V I.

Nunc etiam necessitas postulat, ut de cognitione hujus morbi, occasione data ab *infirmo nobili*, aliquid adjiciamus. Rarissimum revera est exemplum, quod exhibuit, affectus autem ipsius diagnosis non admodum difficilis & intricata est, cum ipse calculus, manu palpandus, suppressionis urinæ auctorem satis superque se se prodiderit. Non deficiunt quidem aliæ causæ hunc affectum æque producentes, sed illæ ad præsens institutum non spectant; similiter quoque incommoda ipsa à suppressione urinæ inducta, unice in doloribus vesicæ & præcordiorum anxietatibus, partim ab urina suppressa, partim vero ab animo meticuloso provenientius, consistebant. Nec vanus erat ille animi terror, quoniam urina suppressa non modo vesicam extendit ad rupturam fere usque, sed etiam doloris sensum molestissimum, una cum insigni stimulo ad ejus excretionem, simul induxit. Quodsi etiam tandem medicinæ amplius locus non est, tunc vesicæ actualis ruptura, aut inflammatio gangrænosa sequitur, cum eventu absolute lethali, prout hoc testatur *Joh. Laurentius Februs, in Ephem. Germ. Nat. Cur. Dec. 1. A. 1. Obs. CLXV.* Non incongruum etiam erit huc addere judicium, quo tempus durationis ejusmodi suppressionis urinæ determinare satagit *Nicol. Tulpus, Lib. II. Obs. Med. Obs. XL.* inquit: *Sed dicat quis: quem terminum ponunt medici morti, exurgenti a suppresso lotio? Annon alios citius, alios vero occidit tardius? valentia corpora ut interdum excurrunt diem vigesimum: sic attingunt infirma vix septimum vel octavum. Certum est, aliquos durasse ad undecimum, & tamen ex toto iterum convalescere, sed post illum diem equidem certe vidi neminem enavigasse periculosum hoc syrtium æquor.* Periculo igitur summo plena res est, quando urina supprimitur & medicinæ nullus amplius locus conceditur.

§. X V I I.

Proinde etiam mirandum haud est, quod à potu vini hungarici calculus e vesica

vesica in urethram propulsus, in eamque impactus fuerit, dantur enim casus à Medicis observati, quod etiam sponte & per autocratiam naturæ id factum sit, nullo etiam adhibito remedio, quemadmodum inter alios complures id testatur *Ehrenfr. Hagedornius Hist. med. phys. cent. I. Obs. XLI.* Majorem autem admirationem meretur id, quod calculus hic satis magnus *infirmo Nobili* nullos produxerit dolores. Placet hic cum supra laudato *Pechlino l. c.* iudicium vel exponere, vel suspendere, ejusque verba huc referre, quæ in sequentibus consistunt: *An vero etiam nonnullis tam crassus contigerit obtususque sensus, ut dolorem ea in parte facile non sentiant; an justo major laxitas, an emolliens aliquod unguen, litus instar sensui doloris securitatem præset, alii viderint.* Magnam calculum pellendi vim adscribunt Medici Clinici aquis medicatis, speciatimque illis, quæ nitrosam habent qualitatem, quemadmodum hoc fecisse legimus *Coel. Aurelianum l. c.* imo *Heur. ab Heer, in Spadacrene Cap. VIII.* refert, quod usu spadanarum acidularum calculi profus consumantur. Verum nec aquæ medicatæ qualescunque calculos expellunt, nisi continuato usu magna earum quantitas hauriatur. Quantitas enim assumpti liquidi auget quantitatem urinæ. Equidem dubitat *Laurent. Bellinus de Urin. p. 12. Sequi.* an liquidum urinæ sit ipse ille potus, quem assumimus illo die, qua urina excernitur, an vero idem ille potus mutetur in substantiam animalis, qua ipsa substantia interim absumatur illud aqueum, quod liquidum urinæ constituit, attamen solide demonstrat idem hic *Bellinus l. c. p. 13.* urinam ut plurimum potui respondere, & semper servare proportionem potus. Hinc & aquæ haustæ in quantitate majore, prout usus docet, majorem quantitatem urinæ producant, hæcque dein ductus urinarios magis extendere, majorique vi & impetu profilire, & in auctiori quantitate excerni solet. Hoc ergo cum aqua præstare potest, idem etiam de vino tenui statuendum erit, eoque majori jure, quo magis illud diureticam habet virtutem, siquidem etiam id suo jam agnovit tempore *Galenus L. de bon. & util. succ. cap. II.* dum illud ad mingendum sollicitare & meatus aperire statuit. Ex hoc fundamento quoque calculosis *Scribonius Largus de Med. Comp. cap. XXXIX.* vinum, in quo nitrum solutum fuit, commendat. Hinc nemo jam amplius mirabitur, quod in ægroto nostro ex potu vini tenuioris calculus usque in urethram propulsus fuerit, quale quid aliis, etiam heroicis medicamentis, vix ac ne vix quidem ita impetrari potuisset.

§. XVIII.

Tandem etiam nunc ad curationem ejusdem accedendum est, quam optime absolvit dilectissimus meus genitor, dum *Job. Groeneveldt in Diss. Litholog.* suppeditatum monitum quam exactissime observavit, quod sic se habet: *Quo in casu omnia remedia tentanda & applicanda, quæ*
Tom. IV. M apta



apta nata sunt calculum educere absque ulla incisione. Ante omnia autem, quoniam ex nimio potu vini, urinæ magna quantitas in vesica, per tot intercedentes horas, accumulabatur, laudabilis illa fuit intentio, urinæ, applicato stylo concavo, exitum procurandi, ne hæc plura incommoda, ob ulteriorem moram excitare possit; successit quoque feliciter hæc intentio, majusque tempus sic obtinebatur, pro consilio captando, quomodo calculus optime eximi ex urethra queat. Multi quidem jam cogniti erant modi, videlicet, per inflationem, suctionem, comminutionem, injectionem, & tandem incisionem. Priores modos tentavit, sed absque effectu, mulgebat quoque leniter oleo inunctis digitis membrum, quo modo etiam puero jam olim opem tulit, sed pariter in cassum. Ad unicum & incisionem confugere nolens, cum posterior vel cicatricem inæqualem ad minimum, vel etiam fistulam facile inducat; prior vero glabram urethræ tunicam parum exasperet, uti etiam adposite id monet *Tulpius, l. c. lib. III. obs. VIII.* & quam optime *Hildanus l. c. Cap. XVI.* Haud ignotum erat genitori meo, multos speciatim incisionem commendare, cum absque omni metu illa perfici possit, adeoque intrepide ad eandem confugere liceat; imo erat etiam ipsi nota methodus glandem virgæ incidendi, quæ vulgo *Jac. Crescentio* Garengot adscribitur, sed falso, cum jam & *Tulpius l. c.* illam suaserit, quamque in *Chirurg. sua Pract. Tom. II. Art. IX. p. 7.* describit, bene enim judicavit; operationes prædictas per incisionem semper aliquid difficultatis & periculi involvere, prout idem etiam fatetur *Isbr. de Diemberbroeck, in Obs. & Curat. Med. Obs. LXXIII.* Durante igitur hoc tempore fortibus emollientibus infessibusque in aquam temperate calidam, infirmum tractavit, donec tandem ad imitationem *Paræi Lib. XVI. Chirurg. Cap. XL.* instrumenta & excogitata & confecta præsto erant, quibus optimo cum successu negotium hoc peragebatur, uti ex ipsa *Historia morbi* jam constat.

§. XIX.

Supereft tandem, ut etiam unico saltem verbo mentio injiciatur, quoniam consilio diætetico præservatorio *Nobilem infirmum* dimiserit genitor meus. Quoniam ergo, sicuti superius dictum fuit, otium, vinum, Venus & crapula calculorum parentes sunt, hinc ea omnia sedulo evitari jussit, serioque injunxit. *Celsus enim Lib. IV. Cap. XXIV. l. c.* jam jam monet, ut hæc in Podagra absolute fugiantur ab iis, qui securitatem vitæ consequi volunt; cum autem Podagra nodosa & calculi multum inter se conveniant, hinc sine errore huc quoque applicare licebit effatum *Sereni, Cap. XXXVII.*

Ennius ipse Pater, dum pocula siccant iniqua,

Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

Ceterum plura quidem occasione hujus casus adhuc adduci potuisse lubentissime fateor, at nimia temporis & chartæ angustio itinerisque festinatio id ipsum prohibuerunt, unde in aliud tempus commodius illa reservabo.

TANTUM.

PETRI TARIN,

EPISTOLA AD D. D. GUATTANI,
SUMMI PONTIFICIS CHIRURG. PRIMARIUM

et Nosocomiorum Spiritus Sancti, et Sancti Gal-
licani Romanorum Praefecto,

DE LITHOTOMIA.

Dab. Parisiis 18 Julii, anno 1748.

INTER omnes, Amice, quæ chirurgorum industriam exercuit operatio, hujusce industriæ non mininam sibi partem vindicasse lithotomiam nosti, norunt & in arte periti. Licet vero suam præ se ferat, ut cætera, difficultatem calculi sectio, à maximis potius quibuscum conjuncta est periculis, terror in ægro major, minorque in operatore constantia procul dubio deduci debet.

Ex partibus positione datis calculum in ipsis contentum faciliori minusque periculosa methodo extrahere, adest problema solvendum. Hujus autem solutioni data sunt omnia; datus nempe locus sectionis, data instrumenta quibus; mediaque tandem, cæteris æqualibus, ad curationem ducentia: illaque tria mutuam ita inter se habent relationem, ut cum ex variis locis assignatis quædam educationi magis, minus vero vulneris glutinationi sint idonea, ea quæ tutius citiusque ad sanationem ducant eligere prudentia suadet, humanitas expostulat. Ideoque in eo tantum sita difficultas, observationibus saltem partiumque structuræ exacta notione solvenda.

Ad vesicæ situm partesque ipsam ambientes ratione habita, lithotomia sursum, deorsumque tantum institui potuit: sursum, methodo *Franconica* quæ etiam *Douglasiana* dicitur, & cum ea duplici modo tum in corporis vesicæ parte anteriori, tum in arcu anteriori inter ossa pubis & urachum comprehenso tentata fuerit, primæ subscripsit cum Rosseto & Douglassio Heisterus, secundamque damnavit: num vero incisione inversa, in prima methodo, ab unione nempe ossium pubis superiori, scalpello equidem non horizontaliter, sed oblique magis aut minus ab anterioribus ad posteriora defixo, & inde ad urachum producta incisione æque tuta? num tutior?

